VOTA, ET MOTIVA CVRIÆ D. IVSTITIÆ ARAGONVM,

In processu D. Martini de Bardaxi, sup. apprehensione Baroniæ de Antillon.

IN processu, & causa, in Curia Dñi Iustitiæ Arago. habito, & actitato, intitulato, Processus D. Martini de Bardaxi super apprehensione, existẽte dicto processu & causa in deliberatione super diffinitiua sententia, quatuor Domini Locumtenentes admodum Illustris Domini Don Martini Baptista de la Nuza, Militis Maiestatis Domini nostri Regis, Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronũtiari, & respectu bonorum sub num. 1. appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, mandare fieri, contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, vicinorum & habitatorum loci de Antillon, princ. Brauli la Muela, & Martini de Lierta procurat. demptis de art. 9. iure venandi, & lignandi en el Lecinarico, o Carrascal. Et de art. 10. eiusdem propositionis iure prohibendi pasturam. Et respectu bonorum sub nu. 2. prædicti appellitus confrontatorum, contenta in propositione Ioannis Cauero, princ. Petri Murillo procu. pro quantitate 1200. solid. Iaccensium, pro quatuor pensionibus instrumenti cẽsualis in præsenti processu exhibiti, decursis, & debitis de anno 1610. 1611. 1612. & 1613. cũ expensis, iuribus suis durantibus, dempto quo ad dominium temporale, & iurisdictionem domini tẽporalalis. Et eis finitis respectu eorundem bonorum tantum cõtenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, singularium personarum, vicinorum, & habitatorum loci de Bespẽ, princ. eorundem proc. dempto de art. 10. eiusdem propositionis iure prohibitiuo lignandi. Respectu vero bonoũ sub nu. 3. prædicti

dicti appellitus confrontatorum contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, singulariũ personarum, vicinorum, & habitatorum loci de Ponçano, prin. eorundem proc. dempto de artic. 9. eiusdem propositionis iure prohibitiuo venandi: Respectu autem bonorum, sub num. 4. prædicti appellitus confrõtatorum, contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, singularium personarum, vicinorum, & habitatorum loci de las Cellas, princ. eorundem proc. demptis de artic. 9. iuribus prohibitiuis lignandi & venandi. Et respectu bonorum, sub num. 5. prædicti appellitus confrontatorum, contenta in propositione Ioannis Cauero, prin. P. Murillo proc. pro quantitate 4048. solid. Iaccen. pro quatuor pensionibus instrumentorum censualium in præsenti processu exhibitorum decursis, & debitis de annis 1610. 1611. 1612. & 1613. cum expensis, iuribus suis durantibus, dempto, quo ad dominium vniuersale, & iurisdictionem domini temporalis. Et eis finitis respectu eorundem bonorum tantum, contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, singulariũ personarũ, vicinorũ & habitatorũ loci de Abiego, princ. eorundem proc. dempto de art. 9. eiusdem propositionis, iure prohibitiuo venandi. Et respectu bonorum, sub nu. 6. prædicti appellitus confrontatorum contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, & singularium personarum loci de la Almolda, princ. Hieronymi Abeña, Didaci Pilares, & F. de Berbegal proc. demptis de artic. 5. & 6. dictę propositionis, iure prohibitiuo, & de artic. 9. eiusdem propositionis iure prohibitiuo venandi, & de articu. 11. iure affirmatiuo contra dominum temporalem dicti loci de la Almolda, & de art. 14. dempto iure exhigendi 15. agnos determinate, sed solum, tot, quot erunt necessarij ad cenam, quam præstare debet, & tenetur prædictus dominus tẽporalis dicti loci. Respectu vero bonorum, sub num. 7. prædicti appellitus confrontatorum, contenta in propositione Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis, ac singularium personarum loci de Castelflorit, princ. Hieronymi de Abeña, & Francisci Ramiz proc. demptis de artic. 3. & 7. eiusdem propositionis Molendinis: & de artic. 8. iure prohibendi las panaderias, tabernas, molendina, & macella. Et demptis ijs rebus, & iuribus super quibus recipiuntur prædictæ

propositi-

propositiones respectiue mandare fieri, contenta in propositione oblata pro parte Don Ioannis de Torrellas & Bardaxi, principalis Petri Murillo, & Antonij Latassa proc. pręstita prius per partes respectiue cautione forali, saluis & reseruatis iuribus, reseruari supplicantibus, cæterisque propositionibus repulsis, neutram partium in expensis, demptis prædictis taxandis condemnando, cætera supplicata locum non habere.

Vnus ex dictis quatuor dominis Locumtenens dicti Domini Iustitiæ Aragonum, fuit ex motiuis sequentibus. Ex eo enim & aliàs, recipiuntur propositiones Iuratorum, Conciliorum, & Vniuersitatum, ac singularum personarum, & locorum de Antillon, Bespen, Ponçano, las Cellas, & Abiego respectiue, principalium Braulij la Muela, & Martini de Lierta proc. respectu bonorum sub numeris 1. 2. 3. 4. 5. appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, quia constat de vniuscuiusq; legitima possessione, seu quasi rerum & iurium, in vnaquaque propositione deductorum, limitantur autem prædictæ propositiones in rebus & iuribus supradictis, quia super ijs minime adest probata possessio.

Recipitur autem propositio Ioannis Cauero, princ. Petri Murillo proc. respectu bonorum sub num. 5. confrontatorum, quia constat de eius legitima inclusione, & instrumento censualis, & obligatione Concilij, & vniuersitatis loci de Bespen, & licet possessio bonorum vnico solum teste pro ipsius parte probetur, manet tamen legitime probata confessione & clara dicti Concilij, & Vniuersitatis probatione facta in sua propositione, quod sufficit ad obtinendum, saltem contra dictos obligatos.

Recipitur similiter propositio eiusdē Ioannis Cauero, princ. Petri Murillo proc. respectu bonorum sub num. 5. prædicti appellitus confrontatorum, quia constat de eius legitima inclusione, & de instrumentis censualium, & obligatione Concilij, & Vniuersitatis dicti loci de Abiego, & quamuis possessio bonorum dicti Concilij, vnico solum teste a prædicto Cauero probetur, manet tamen legitime probata confessione, & clara dicti Concilij & Vniuersitatis probatione facta in sua propositione, quod sufficit ad obtinendum saltem contra dictos obligatos.

Recipitur autem propositio Iuratorum, Concilij, & Vniuer-

ſitatis,& ſingularium perſonarum loci de la Almolda,principaliũ Hieronymi de Abeña, Didaci Pilares, & Fraincifci de Berbegal proc. reſpectu bonorum ſub num.6. appellitus præſentis apprehenſionis confrontatorum,quia conſtat de legitima poſſeſſione, ſeu quaſi rerum ; & iurium in ſua propoſitione deductorum, præcipue tamen conſtat de iure libertatis abſolutæ poteſtatis, quam habent domini temporales huius Regni in ſuos vaſſallos, ſatis enim ex proceſſu apparet ſemper hos homines de la Almolda,ſecundum diſpoſitiones forales, fuiſſe per dominos ſuos tractatos numquamque cum abſoluta poteſtate. Nec his quicquam refragatur,quod licet nõ conſtet in proceſſu de aliquo actu abſolutæ poteſtatis, conſtetque de multis ſecundum forales diſpoſitiones, non inde per neceſſe inferatur hæc libertas abſolutæ poteſtatis,cum bene ſtet, dominum habere abſolutam poteſtatem,eamque numquam actu exercere,at certum eſt eam penes temporales dominos ex fororum diſpoſitionibus eo quod domini ſint temporales ineſſe, quod ſufficit,vt conſtito de dominio conſtet etiam de eadem abſoluta poteſtate.Licet enim ex hac fori præſumptione dominus debeat habere hanc abſolutam poteſtatem: Verumtamen hæc non ſolum eliditur præſumptio, ſed omnino tollitur inſpecto principio, & ingreſſu dominij huius oppidi in dominis temporalibus, in quo, pacto ſpeciali diſpoſitionibus foralibus, derogari, nouaq; lex apponi potuit,vt actum eſt in trãſlatione dominij huius loci facta, mediante donatione conceſſa per ſereniſſimũ Regẽ ac dñm Ferdinandũ I. in fauorẽ Berengarij de Bardaxi in villa de Mõblanc, 1. die menſis Octobris anni 1414. & proprij Regni tertio ibi, Retenemos empero,&c.& ibi, Seades encara tenidos vos,è los vueſtros obſeruar fueros del Reyno de Aragon, è priuilegios, vſos, è ordinaciones de monedas, &c. & ibi, Retenemos mas abant,que ſi los poblados,è pobladores de los Caſtillos, è Lugares ſobredichos,por vos,& los vueſtros ſucceſſores,o officiales en cauſas, è judicios, qualeſquiere defeytos, aſſi ciuiles como criminales deballantes, ſe ſentian agrauiados contra juſticia en alguna manera,puedã apellar de vueſtros officiales a vos, è apres de vos,a nos,è nueſtros ſucceſſores, &c. Quibus verbis non ſine iuſta cauſa ſeruauit prædictus Dominus Rex inter alia multa,

multa, quod prædictus Berengarius, & eiuſdem ſucceſſores perpetuo foros & libertates ſeruarent, habuit enim prædicta loca de la Almolda, & Caſtelflorit, prædictus Dominus Rex ex confiſcatione bonorum Comitis de Vrgel ob eiuſdem rebellionem in ademptioneque poſſeſſionis duo ſtipulatus fuit mediante Ioãne Ferdinando de Heredia Regente Officium Generalis Gubernationis eius commiſſario ad hoc deſignato. Primum, non alienaturum prædictum locum in alium dominum. Secundum, ſeruaturum foros, priuilegia, & libertates dictorum hominum. Vnde licet non adimpleuerit primum, ſed alienauerit in fauorem dicti Berengarij, & ſucceſſorum, cum expreſſa reſeruatione, quod deficientibus omnibus ſucceſſoribus, & deſcendentibus eiuſdem, ad Regiam Coronam reuerterentur, adimpleuit ſecundum, quia ſemper voluit tractari mediantibus diſpoſitionibus foralibus, & etiam quod daretur recurſus ad dominum temporalem locorum, & ab eo ad Dominum Regem, actus quidem omnino contrarij abſolutæ poteſtati, a qua nullus adeſt recurſus grauamẽq; per eam illatum vaſſallis, ſolum Deum habet vltorem, quod agnoſcentes dictus Berengarius, & omnes alij domini temporales eiuſdem loci ſemper ſecundum prædictos foros cognouerunt de cauſis, & perſonis eorundem vaſſallorum, vnde tot forales proceſſus etiam ad inſtantiã domini actitati ſunt, tam ciuiles, quam criminales, de quibus in præſenti proceſſu apparet, nec vnicus actus denotans abſolutam hanc poteſtatem in proceſſu demonſtratur, vt ſic merito dicendum ſit hos omnes actus, geſtos fuiſſe in vim illius donationis, per quam interdicta videtur hæc abſoluta poteſtas, eliſaq; præſumptio, quam alias haberet dominus in vaſſallos, ſi per ſuum principium non conſtaret abſq; ea abſoluta poteſtate tranſlatos eſſe, quod quidem vltra teſtes a prædicto loco in ſua propoſitione adductos, inſinuare videntur aliqui alij, & Don Ioannis, & Don Martini, limitatur autem prædicta propoſitio, & ſuper iuribus & rebus prædictis non recipitur, quia non conſtat per aliquos actus de legitima poſſeſſione, aut quaſi eorundem. Recipitur autem propoſitio Iuratorum, Concilij, & Vniuerſitatis, ac ſingularium perſonarum loci de Caſtelflorit, princ. eorundem proc. reſpectu bonorum ſub num. 7. appellitus preſentis apprehenſionis confrontatorum, quia conſtat dele

 gitima

gitima possessione, seu quasi rerũ, & iurium in sua propositione deductorum, præcipue quasi possessionis libertatis absolutæ potestatis, quam habent domini temporales huius Regni in suos vasallos, quæ libertas satis deducitur ex supra dictis in receptione propositionis oppidi de la Almolda, quia eundẽ titulum incorporationis & donationis Regiæ habet sicut locus de la Almolda, cum vterque eodem die, eisdem conditionibus, verbis, & causis, & in eodẽ instrumento donatus fuerit a Serenissimo Rege ac Domino Ferdinando I. prædicto Berengario de Bardaxi eodemque modo ab eodem, & successoribus possessus sine aliquo actu absolutæ potestatis, vt sic fateri cogamur dominos temporales horum oppidorum illa absoluta potestate non fuisse vsos, quia in vassallos a principio non habuerunt, non autẽ quod habentes, nollebant exercere. Limitatur autem hæc propositio, & non recipitur respectu Molendinorum deductorum in 3. & 7. articulo eiusdem, quia non constat de possessione illorum, pro ut nec de iure prohibendi deducto in octauo articulo, scilicet las panaderias, tabernas, molendina, & macella.

Recipitur tandem propositio Don Ioannis de Torrellas & Bardaxi, princ. Petri Morillo, & Antonij Latasa proc. quia constat, de eius actuali possessione, & insistentia in bonis apprehensis tempore oblationis appellitus apprehensionis, & sic tempore motæ litis, vt ideo merito in hoc summarissimo litis pendentiæ iudicio obtinere debeat.

Repellitur vero propositio Don Martini de Bardaxi olim Torrellas, quia non apparet de aliqua eius possessione, sed nec de legitimo & efficaci titulo eiusdem ad obtinendum in hoc iudicio possessorio: Propterea quod pacta dotalia Ioannis de Bardaxi, & Serenæ de Moncayo, quibus intendit, & nititur præfatus Dõ Martinus de Bardaxi se includere in dominio & possessione horum bonorum apprehensorum, minime fuerunt producta in forma probanti: Duo siquidem exhibita apparent instrumenta, dictorum pactorum dotalium, & ambo inutilia, & quæ nullam fidem faciunt, primum lebatum a solo Martino Vicent, quod instrumẽtum nullius vtilitatis esse potest. Nam in signatura attestatur prædictus Martinus Vicent se extraxisse in publicam formã dictum instrumentum, vt successorem Dominici Infant Notarij publi-

publici ciuitatis Cæsaraugustæ, cum non reperiatur in protocollo Dominici Infant illius anni 1446. ad hanc Domini Iustitiæ Aragonum Curiam ducto continuata, & ingrossata concessio illius instrumenti pactorum dotalium, ita quod existente & permanente protocollo Dominici Infant illius anni, apud Antoniũ Mirauete notarium de numero ciuitatis Cæsaraugustæ, successorem Dominici Infant, & non solum in eo non repeiatur continuatum dictum instrumentum, sed nec vel minimum eius vestigium, vlla profecto habenda est consideratio instrumenti lebati a Martino Vicent, vt successore Dominici Infant, præsertim cum in dicto protocollo Dominici Infant continuatum & ingrossatum, reperiatur quoddam instrumentum sub die 8. mensis Februarij eiusdem anni 1446. concessum, receptum, & testificatum, & statim ac immediate in dorso eiusdem folij subnectitur, & collocatur aliud instrumentum receptum die 25. Februarij eiusdem anni, nullo relicto loco ingrossationi alterius instrumenti, cum tamen illo tempore intermedio constituto inter dictos dies 18. & 25. Februarij, scilicet, die 23. Februarij dicti anni, huiusmodi pacta dotalia, quibus Don Martinus de Bardaxi includitur concessa fuisse, proponatur pro parte dicti Don Martini. Id quod euidenti, ac irrefragabili argumento est, vel quod nunquam talis contractus intercessit, vel certe si intercessit, eius tamen instrumentum in nota non exarauit Dominicus Infant, & vtroque casu omnino, & penitus periclitatur corruit, & deficit fides, & authoritas transumpti lebati a Martino Vicent eius commissario, iuxta receptam Regni nostri, & antiquam illius praxim, qua non creditur instrumento lebato a notario successore deficiente nota, & protocolo Notarij rogati, nisi quando constat protocollum esse deperditum, vel laceratum, & vltta id concurrant multa alia adminicula veritatis. At quando apparet de protocollo, & matrice scriptura Notarij rogati, absque signo lacerationis, tunc instrumentum, si in illa nota non reperitur continuatum, nec papiri locus relictus, in quo ingrossari, & continuari potuerit, non solum tale instrumentum a notario successore lebatum, non meretur fidem, nec ei fides, & authoritas adhibenda est, sed imo ex productione protocolli notarij rogati illius anni, & diei, oritur suspicio falsitatis con-

tra instrumentum lebatum a notario successore. Signanter, quia iuxta forales huius Regni dispositiones anteriores dicto anno 1446. dictus Dominicus Infant tenebatur intra sex mēses immediate sequentes post diem receptionis, & testificationis, instrumentum illud in protocollo sub eo die ingrossare, & continuare sub pœnæ foralis incursu, si contrafecisset, scilicet, quod officio notariæ, seu tabellionatus, perpetuo esset priuatus, non enim credendum est dictum Dominicum Infant adeo extitisse sui muneris, & rerum ad eius offitium tabellionatus pertinentium oblitum, & immemorem, vt desineret ingrossare instrumentum illud continens donationes, & vincula bonorum tanti ponderis, maximæque æstimationis, & valoris, & concessum a personis, ita egregijs, & illustribus. Nec iubare potest intentionem Don Martini de Bardaxi, fuisse dicta pacta dotalia sub diuersis diebus, & mensibus illius anni, vt dicitur concessa, nempe ab aliquibus ex partibus contrahentibus, sub die 23. Februarij, & ab alijs sub die 24. Aprilis: & in protocollo dicti Dominici Infant illius anni sub aliquo ex dictis diebus nulla fit mentio huius instrumēti, & non est minus, quin Dominicus Infant sub die 23. Februarij, quo die incepit, vt ex instrumento lebato a Martino Vicent colligitur concessio horum capitulorum matrimonialium aliquā mentionem in protocollo eius rei fecisset, cū tamen vlla mentio ab eo in dicto protocollo nō reperiatur facta, nec eo nec alio die dicti anni 1446. Quibus omnibus conuincitur illud instrumentū a solo Maritino Vicent in publicam formam extracto, nullius esse momenti, authoritas enim dicti transumpti, leuati a Martino Vicent, vt successore, & cōmissario Dominici Infant, tota pendet a nota dicti Dominici Infant, nec aliam potuit habere fidē, & authoritatem, nisi quā a prothocollo Dominici Infant habuisset, aliter aperiretur lata, & ampla via committendi falsitates, in graue damnū personarū cōmorantiū in hoc Regno, quod summopere euitandum esse nemo est, qui non videat. Similiter corroborare minime posse censemus prætensionem Dō Martini de Bardaxi, illud aliud instrumētū exhibitū in processu, quod reperitur extractū, & lebatū ab eodē Martino Vicent, vt successore Dominici Infant, & commissario suarū notularum, & etiam subsignatum, seu subcriptū manu propria Antonij Çarui notarij, habitatoris

villæ

villæ de Fraga, ſucceſſoris, & commiſſarij Arnaldi Carui notarij dictæ Villæ, alterius ex notarijs rogatis, ambo enim Dominicus Infant, & Arnaldus Carui, vt ex ſignaturis illius instrumenti expreſſe deducitur, illud, vt dicitur receperunt. Namque vt ex tenore, & lectura dicti instrumenti apertiſſime dignoſcitur illud instrumentum extractum fuit in publicam formam a dicto Martino Vicient, vt ſucceſſore Dominici Infant, & ex conſequenti, hoc ſecundum instrumentum eodem, mehercle morbo laborat, quo, & illud primum, de quo iam in ſuperioribus prædiximus. Neque vires, robur, & efficatiam ſumere poteſt ex ſignatura, & ſubſcriptione Antonij Carui, ſucceſſoris Arnaldi Carui, de cuius Arnaldi Carui teſtificatione, & receptione huius instrumenti pactorum dotalium contendit Don Martinus de Bardaxi, reperiri notam, & prothocollum in proceſſu manifeſtationis ſcripturarum Ioannis Mir, per hanc Curiam Domini Iuſtitiæ Aragonum factæ, ſub anno 1543. Eſto enim, quod fateremur, quod ex dicto proceſſu Ioannis Mir apparet legitime, & prout expedit de tali nota, & prothocollo Arnaldi Carui, tamen exiſtentibus, & concurrentibus tot cauſis, & rationibus, de quibus latum deſuper habuimus ſermonem tollentibus, & diminuentibus fidem illius ſignaturæ, & extractioni in publicam formam huius instrumenti capitulorum matrimonialium factæ a Martino Vicient, vt ſucceſſore Dominici Infant, non ſat eſt reperiri ſignaturam Antonij Carui, ſucceſſoris Arnaldi Carui, ex ratione ad id validiſſima, nempe, quia duæ priores lineæ instrumenti leuati, nec calendarium, non ſunt de manu Antonij Carui, vt ex viſura dicti ſumpti leuati eiuſque lectura, & tenore, abſque hæſitatione aliqua deducitur, & liquidiſſime infertur. Vnde caret instrumentum leuatum ſolemnitatibus foralibus, qua conſideratione infringitur, & omnino deſtruitur fides illius ſumpti, & eius authoritas, licet ſecus fuiſſet, ſi duas illas priores lineas, & calendarium, ſua propria manu dictus Antonius Carui ſcripſiſſet. Qua propter remanet instrumentum in ſolemne, & abſque ſolemnitate a foris deſiderata, quod duæ priores lineæ, & calēdarium ſint ſcripta manu propria notarij, etiam ſucceſſoris, & commiſſarij extrahentis in publicā formam instrumentum, qui defectus notus maxime eſt.

Præterea antiquitas temporis, & aliæ coniecturę, & præsumptiones, quæ considerantur pro parte Don Martini de Bardaxi, ad adiuuandam fidem dictorum instrumentorum, non potuerunt nos mouere ad impelendum animum, vt nunc adhiberemus illis fidem, & authoritatem, quippe, nec antiquitas temporis, nec aliæ coniecturæ, & præsumptiones iubare, nec adminiculo esse possunt, quando contrarium aperte legitur, & elicitur ex tenore, & contextura eorundem instrumentorum, vltra quod multæ ex dictis præsumptionibus, & coniecturis, non deducuntur ex processu, earum autem quæ sunt extra processum, ratio aliqua, nec consideratio haberi potest, vltra superiora.

ALII vero tres Domini Locumtenentes dicti Domini Iustitiæ Aragonum ex dictis quatuor, fuerunt etiam ex motiuis superius insertis, & continuatis, ac etiam ex sequentibus, ad exclusionem dictæ propositionis Don Martini de Bardaxi, mirum in modum sequentia conferunt. Nam omissis aliquibus articulis, an scilicet necessarium foret, vt prius præcederet sententia declaratoria priuationis, & an dispositio fori, A vezes, de apprehensionibus, hoc casu procedat eo, quod contendit Don Ioannes de Torrellas minime deueniri pro parte Don Martini de Bardaxi ad bona defuncti, & sic non posse eidem suffragari regulam dicti fori: Super quibus articulis non intendimus nunc iudicium nostrum interponere, nec illos decidere. Esto enim, quod regula foralis, quæ desumitur ex dicto foro, A vezes, de apprehensionib. potuerit opitulari prædicto Don Martino de Bardaxi, vt quia diceretur venire ad bona defuncti. Obstat tamen illi exceptio illius fori, nam Don Martinus non venit intra annum, & diem, primæ contrauentionis Don Ioannis de Torrellas, post interpellationem eidem factam per præfatū Don Martinum, sed multo quidē post, ac proinde D. Ioannes, tutus est exceptione illa forali. Nec mouere potest, quod enixe contendit D. Martinus de Bardaxi, nempe, quod cū post requisitionem factam eidem Don Ioanni, is semper, & vsq; ad tempus apprehensionis cōtrauenerit præcepto vinculātis, habeatq; contrauentio illa Don Ioannis, tractum quendam successiuum, & contractum, ita vt credendum sit Don Martinus non magis pro prima, quam pro vltima contrauentione obtulisse appellitum apprehensionis, cum semper intra annum venisse

venisse dicendum, & asseuerandum sit. Respondetur namque argumentum illud non procedere, ex eo, quoniam aliàs nunquam exceptioni dicti fori, A vezes, locus foret, cum enim a die interpellationis factæ a dicto Don Ioanne, pro parte Don Martini, qua mediante monuit eundem, requisiuitque, vt nomen, & insignia de los Bardaxis, sine mixtura alterius nominis, & armorum deferret, eligeretq; intra triduum alterum ex duobus maioratibus incompatibilibus, quo ipse vti vellet, aliter enim renuente dicto Don Ioanne, eligeret in eius renitentia dictus DõMartinus, passusq; fuerit idem Don Martinus, quod ipse Don Ioannes nomen, & arma familiæ de los Bardaxis deferret, cum mixtura nominis,& armorum de los Torrellas, nec intra annum post primam contrauentionem subsequutam, post interpellationem eidem Don Ioanni factam, & in processu exhibitam, appellitum apprehensionis bonorum obtulerit, imo multo post illud post annum a prima contrauentione computandum, transactum, & elapsum, vtique præscriptioni fundatæ in exceptione dicti fori, A vezes, locum fecit, obstatq; Don Martino, exceptio, de qua ei in cedula replicæ DonIoannis, extitit facta obiectio & replicatio.

Nec obstat, quod ille actus contrauentionis, habet, vt contendit Don Martinus, tractum quendam continuatum,& successiuum, ob idque multi actus contrauentionis concurrant, quorum respectu intra annum venerit, ac propterea obstare eidem non videatur exceptio fori, A vezes, de apprehensionibus, quasi ad minus, minus, vltimus actus contrauentionis cõsiderandus sit. Nam hoc argumentũ inefficax prorsus,& inutile est, vel ex eo in primis, quod attenta prætensione Don Martini de Bardaxi, qua asserit, quod ocasione, & causa illius primeuæ contrauentionis subsequutæ post interpellationem Don Ioanni factam ipso iure, & facto fuit translatum dominium, & etiam transfussa possessio horum bonorum apprehensorum in dictum Don Martinum de Bardaxi, efficitur profecto, vt deinde in Don Ioanne de Torrellas contrauentio aliqua considerari non valeat, saltem ad impediendum huius foralis, & annalis præscriptiones cursum. Accedat insuper, quod etiam si diceremus Don Ioannem postea contrauenisse, verum, sicut quando plures fuissent contrauentio-

nes,

nes,sciente,& patiente Don Martino successore,magis completa, & validior foret præscriptio. Ita quoque, vbi a foro solus annus, & dies desideratur eo transacto, quanto magis patitur Don Martinus contrauenire Don Ioannem,magis perfecta præscriptio diceretur, & appellabitur. Id quod varijs exemplis mirifice comprobatur. Si nitar acquirere ius immittendi lignum in alienum parietem, mediante præscriptione, & ad eum effectum incipiam hodie immittere lignum, & cras iterum immittam, & sequentibus etiam diebus animum immittendi lignum prosequar immittēdo etiam illud,cum effectu licet diuersis, & varijs diebus plures & diuersæ factæ fuerint immissiones ligni in alienum parietem, præscriptio tamen ab illo primo actu missionis ligni incepit,& aliæ immissiones,postea post primam interuenientes, & subsequentes, tametsi diuersæ ab illa priori tendunt me ercle in confirmationem illius prioris actus, a quo præscriptio initium suum, & principium accepit, similiter si te admonui, ne afficias luminibus in eis, aut ne festram aperires, & tu,me sciente,& hodie, & mane,& indies,& quotidie luminibus officis, & fenestras aperis, ita quod a die admonitionis tempus legitimum effluxit ad legitimam præscriptionem complendam, quamuis actus ij tractum habeant successiuum, præscriptio a primo actu computabitur,non a posteriori, nam si aliter diceremus, nunquam præscriptioni locus foret, maxime in iuribus negatiuis, & prohibitiuis, quod quam sit ridiculum nemo est, qui non videat. Quibus consonat illud, quod decisum reperimus in supremis huius Regni Tribunalibus, quod si possessor bonorum vinculatorum distraxerit, & alienauerit aliqua ex bonis vinculatis, & fideicommisso suppositis in personas extraneas, in quas alienatio vetita,& prohibita erat, si personæ vocatæ in casum contrauentionis patiantur possidere emptorem, vel personam in quam extitit facta alienatio per annum, & diem, post alienationem factam emptor ille, seu persona in quam fuit alienatum, quæ per annum,& diem reperitur in possessione, & detentione bonorum,obtinet, & victoriam reportat in hoc summarissimo litis pendentiæ iudicio,tutus exceptione dicti fori,A vezes,aduersus personas vocatas in casum cōtrauentionis,licet actus ille contrauētionis, seu alienationis subsequutus tractū habeat successiuū,

cum

cum per singula momenta, quibus res alienata extra familiam maneat, contrauenire videatur, non igitur Don Martinus iure contendit annum a die vltimæ contrauentionis computandum, cum potius a priori, a quo, data scientia, & patientia admonentis legitime præscribere incepit D. Ioannes sit computandus, & quare eiusdem Don Martini desidiæ, & negligentiæ, non vero contrauentionibus Don Ioannis imputandum, vt sic merito eius propositio repellenda, & reijcienda sit, prout repellitur ex prædictis, & aliàs, atten. conten.

Alius vero dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenens, respectu omnium propositionum desuper mentionatarum, fuit eiusdem voti dictorum Dominorum quatuor Locumtenentium, ex eisdem motiuis, dempto quo ad receptionem propositionis Don Ioánnis de Torrellas & Bardaxi, nam respectu eius fuit voti & opinionis, quod debet paonuntiari, & mandare fieri contenta in propositione Don Martini de Bardaxi, princ. Dominici Adrian proc. præstita prius per partes cautione forali, saluis, & reseruatis iuribus reseruari supplicantibus, cæterisq; propositionibus repulsis, neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando, cætera supplicata locum non habere, atten. conten. ex motiuis sequentibus.

Recipitur tandem propositio Don Martini de Bardaxi, princ. Dominici Adrian proc. reiecta propositione Don Ioannis de Torrellas, princ. Petri Morillo proc. quia in pactis dotalibus initis die 23. Februarij anni 1446. inter Ioannem de Bardaxi Militem & Camarlengum Serenissimi Domini Regis dominum Varoniæ de Antillon, & Domnam Beatricem de Pinòs eius vxorem, & Ioannem de Bardaxi scutiferum filium dictorum coniugum, ex vna parte: & honorabilem, & circunspectum virum Ioannem de Moncayo, Militem Consiliarium Domini Regis, ac R. Offi. Gen. Guber. præsentis Regni Aragonum, & honorabilem Domnam Serenam Çacosta eius vxorem, & Serenam de Moncayo domicellam filiam dictorum coniugum, ex alia parte, super matrimonio contracto inter dictos Ioannem de Bardaxi, & Serenam de Moncayo, quæ fuerunt testificata per Dominicum Infant notarium ciuitatis Cæsaraugustæ, & Arnaldum Carui notarium villæ de Fraga, inter multa pacta, vincula, & grauamina in

eis

cis posita, illud continetur, sub tertio illorum, Con tal empero, manera, & condicion, que el dito fillo dela dita filla del dito Iuan de Bardaxi, que sucedira en los ditos bienes, lieue las armas dreytas de Bardaxi, o aya a nombrarse, è se nombre, del sobrenombre de Bardaxi, sin mixtura, & de lo sobredito no fiziesse, que venga enel segundo fillo masclo dela dita filla del dito Iuan de Bardaxi, con la dita condicion & carga, & assi successiuament enlos otros fillos delas fillas del dito Iuan de Bardaxi, de vno en otro, seruando orden de genitura. Quieren empero, que los fillos masclos de la primera filla, sin de aura, sian primeros enel grado de la succession de los fillos de la segũda: è aquello mesmo se serue en los fillos de las otras, sin de auran, seruando las formas, è calidades de suso puestas, è ordenadas. Et en el caso que y de aura fillos masclos de las fillas, seruando las formas, & calidades de suso puestas, è ordenadas del dito Iuan de Bardaxi, que en el dito caso los ditos Castillos y lugares sean, tornẽ, è finquen de & alos fillos masclos delas fillas del dito Pedro de Bardaxi, & a los descendientes dellos por recta linea masclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados, es asaber, de mayor en menor, seruada entre ellos orden de genitura, & enla manera, forma, & cõ las calidades, modificaciones, è retenciones de suso ditas, & que de la parte de suso es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & descendientes del, è con la manera, condicion, è carga de auer de lleuar las armas, è sobrenombre de Bardaxi de suso ditas, sin mixtura alguna, segun de suso largamente es recitado. Et en caso que no y de aura fillos masclos de las fillas del dito Pedro de Bardaxi, o descendientes de ellos masclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados, en el dito caso los ditos castillos, è lugares tornen a las fillas del dito Iuan de Bardaxi, & a los descendientes de ellas. Et si no aura fillos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, o descendientes dellos, que tornen a las fillas del dito Pedro de Bardaxi, & a los descendiẽtes dellas. Quibus verbis a cõtrahentibus grauamen conditio, siue modus fuit appositus eorũ successoribus, gerẽdi nomẽ, & arma de Bardaxi, sine aliqua alterius cognominis, & armorũ mixtura, cõtrafacientes, & inobediẽtes priuãdo dictis bonis, eademq; in successorem proximiorẽ contrauenientis trãsferendi, quod præceptũ, & grauamen tanquam iustum, &

honestum

honeſtum,& quo familia conſeruari ſolet obſeruandum,& ita vt ſicut appoſitis quibuſcumque alijs conditionibus, eiſque non impletis,inobediens excluditur a cõmodo ita grauatus,hãc conditionẽ non adimplens amittat ſucceſſionem,& hæreditatem datam ſub ea,transferãturq; dominiũ, & poſſeſſio bonorũ in ſequẽtem in gradũ.Conſtatq; Don Ioannem de Torrellas & Bardaxi, bonorum apprehenſorum poſſeſſorem, & fideicõmiſſarium ſucceſſoremque dictorum contrahentium, non vnica tantum contrauentione,ſed multiplici,& enixa, non ſolum ante admonitionem,& requiſitionem ei factam a Don Martino die 18.Octobris anni 1611.ſed poſt eam, & non ſolum ante apprehenſionem intra annum, ſed oblato iam appellitu eiuſdem, imo, & in ſuamet propoſitione,in mandato exhibito in proceſſu, & in reſponſione per eum facta articulis eius iuramento relictis, varijſq; alijs documentis inſtrumentarijs, & non inſtrumentarijs,expreſſe cõtraueniſſe: quo caſu,ſucceſſio bonorum transferri debet inDon Martinum de Bardaxi miniſterio legis, ex contrahentiumq; diſpoſitione ob deficientiam filiorum Don Ioannis contrauenientis, & aliorum qui proximiores illi ſint.Probauit namq; DonMartinus propriam ex dictis contrahentibus deſcendentiam, proximioremq; aliũ propinquiorem nõ extare.Ex quo legitimam etiã incluſionem demonſtrauit ad obtinendum dicta bona, & in eis ſuccedendum,ex tam notoria,& clara contrauentione dicti Don Ioannis vltimi eorundem bonorum poſſeſſoris.Nec(etſi probauerit Don Martinus) neceſſarium fuit hanc contrauentionem probare inſtrumentis inducentibus notorietatem, cum ſufficiat eam probare teſtibus,proprijs epiſtolis,& alijs documentis, quia liquidantia factum,teſtibus probantur, bene etenim contrahentes, aut teſtatores apponentes grauamina contrauenientes priuare poſſunt, alioſq; in caſu contrauentionis,ſequentes in gradu vocare: Quod quidem,ſiue priuatio ſit hæreditatis, ſiue eiuſdem de vna perſona,in aliam tranſlatio,ſimpliciter, & ſub conditione fieri poteſt: neque ad id eo in caſu aliqua admonitio,& interpellatio extraiudicialis neceſſaria fuit. Nam etſi hanc priuationem bonorum,& tranſlationem eorundem,pœnam contrauenientis appellere vellimus, prout in noſtro caſu, non eſt ea tamen adiecta propter factum, nec expoſcit admonitionem, ſicut quæ apponitur

ponitur ob negligentiam, quia non facta latent facta autem ipsa se manifestant: priuatio autem hæc, & bonorum translatio in Don Martinum ob factum Don Ioannis contrauenientis censetur, videlicet, quia Don Ioannes gerere debebat nomen, & arma de Bardaxi sine mixtura, non tamen adimpleuit, imo Torrellas, & Bardaxi, vocatur, vtriusq; Stemmata portauit, in quo non solum negligens fuit, ita vt actus ab eo gesti in negligentia consistat, sed in præcepto positiuo contrauentionis, gerendo nomẽ, & arma aliena, & contraria dispositioni vinculantium, retinendoq; alium maioratum relictum a Gabriele Sanchez eisdem fere qualitatibus, & vinculis, quibus præsens, & cum hoc incompatibilem. Quod si necessaria foret dicta admonitio, & interpellatio extrajudicialis constat, factam illi fuisse sub dicto die 18. Octobris. Quæ interpellatio, & admonitio, si necessaria non fuit, multo minus iudicialis sententia, & declaratio desideratur, cum simus in casu, in quo & adest dies, & pœna, quia conditio gerendi nomen & arma sine mixtura, habet durationem, & continuationem perpetuam, quæ non solum per dies, sed per momenta interpellat, præcipue cum vinculantes possessorem contrauenientem priuent, & deferant successionem in sequentem in gradu, ad quod superuacanea erit diuersa iudicis declaratio, imo nec partis admonitio consistens in quadam æquitate, qua indigni sunt testantium, aut contrahentium iudicia subertentes, ac obruentes, qui plenum iuris rigorem inuertere ad seq; attrahere merentur, cum ingrati penitus naturæ legibus, ac iustitiæ, acceptorumq; beneficiorum immemores existant. Translata ergo sunt in Don Martinum ex inobedientia Don Ioannis dominium & possessio, quæ habebat absque aliqua declaratione iudiciali super priuatione, nam sicut manitione iudicis hæres inobediens ipso facto institutione priuatur, sic, non minori ratione vbi testatoris, aut contrahentis monitio præcessit secuta hæredis, vel successoris inobedientia, inducitur priuatio, inobediensq; hæres esse desinet, & alius incipiet, cũ hominis prouisio faciat cessare legis dispositionem: Qua ratione itidem non semel in praxi hoc in nostro Regno habuimus in fideicommisso contrauentionali ex alienatione bonorum, in quo nulla adequatur differentiæ ratio, in eo tamen absque aliqua Iudicis declaratione in his articulis possessorijs, ob

tentum

tentũ eſt, ex capite contrauentionis, & inobedientiæ alienationis:ergo ſimiliter,& in hoc poteſt obtineri ex alio capite inobedientiæ,ſcilicet,non deferendi nomen,& arma ſimpliciter,& ſine mixtura, imo maior contrauentio eſt ratione moræ commiſſæ,quæ contrahitur ex eo, quod non geruntur nomen, & arma, quam quæ cõtrahitur ex alienatione bonorum, cum hæc forſam ex neceſſitate poſſidentis maioratum committatur, illa vero ſolum ex pura contumacia, inobedientia, & ingratitudine,ſicque videmus,quod in caſibus,& prouintijs,in quibus princeps diſpenſat in maioratibus,diſpẽſat in eorum alienatione, minimeq; in armorũ,& cognomine,delatione,& quemadmodũ contrahẽs aut teſtator poteſt vocare ſucceſſorem in caſu mortis alterius,& noneſt neceſſaria declaratio iudicialis mortis illius, ſed ſola probatione obtinet vocatus,ex vi prædictæ vocationis,abſq; aliqua interpellatione,aut declaratione,ita,vocatus in caſu cõtrauentionis ex alienatione, ex dicta probatione alienationis obtinẽt, & ex probatione cõtrauẽtionis non deferendi nomen,&arma,debet obtinere,qua eadẽreſoluta cõditione per cõtrauentionẽ,& purificata propriavocatione,nihil ſupereſt,declarandũ, niſi ſolũ meliorẽ titulũ,& cauſam habere ad obtinendũ,quod fit in præſenti proceſſu,medianteq; eiuſdẽ legitima ſententia,nec dici poteſt, ex hoc ſpoliari poſſeſſorem ſua poſſeſſione, eo non audito contra iuris,& fori apertiſſimas regulas, quia in pleno eiuſdem articuli iudicio iam auditur, proponitur cauſa litis, obijciuntur contrauentiones,adducuntur iura, & incluſiones partium, conſtituitur,hinc inde tempus ad replicandum aduerſus ea,quæ proponuntur, & tempus æquale ad probandum, & cum proceſſus ſit realis omnes ſunt actores omneſq; rei,vt ſic obtineat, qui melius ſit in poſſeſſione,aut meliori titulo potiatur; Quomodo ergo dici poteſt non audiri, qui præconijs publicis vocatur, auditur,&ſi melius probat,tuetur in ſua poſſeſſione,quod etſi virtute diſpoſitionis legalis in crimine, vel contrauentione commiſſa non fiat,niſi data prius Iudicis declaratione, ſecus in diſpoſitione, pacto, vel conuentione hominis, cum qua, & mitius agi debet, & propriè pœna dici non poteſt, quia licet priuari, quem lucro iam quæſito pœna cenſeatur, ſi tamen priuetur ab eo, qui lucrum dedit,pacto,conditione,vel modo adicto, tunc iſta pri-

uatio pœna non eſt, ex quo nihil mirum ſi reſoluta conditione,ſub qua in noſtro caſu a contrahentibus data ſunt, Don Ioanni de Bardaxi,& Serenæ de Moncayo,eorumque ſucceſſoribus ex contrauentione ſequta adimatur poſſeſſio,& in vocatum proximiorem transfundatur, ex expreſſa contrahentium voluntate, ſine aliqua noua Iudicis declaratione, quæ ſuperflua eſſet, cum in hoc proceſſu exceptionibus defendi poſſet contraueniens, non contraueniſſe demonſtrando,aliaq;replicando,quibus eneruare poſſet intentionem apprehendentis, & ſicut multa propoſuit Don Ioannes in ſua replica, potuiſſet demonſtrare,qua ratione grauamina, pacta, & conditiones dictorum pactorum dotalium obſeruaſſet,nec conditionibus,aut modis eorundem contraueniſſe,quo minime facto, probatiſque legitime dictis contrauentionibus merito ſuccumbere debet Don Ioannes, & obtinere Don Martinus, ex diſpoſitione fori, A vezes, 30. ſub titulo de apprehen. cuius diſpoſitio tantum abeſt nocere Don Martino,quod imo eius vi, & miniſterio ex dictorum contrahentium voluntate, diſpoſitione, & vocatione reportare debet ſententiam,dato, & ſuppoſito requiſitionem factam Don Ioanni a Don Martino,dicto die 8. menſis Octobris,anni 1611. habuiſſe duos effectus. Primus eſt,quod cum D.Ioannes haberet duos maioratus,qui incompatibiles videbantur fundatum, videlicet a Gabriele Sanchez,& fundatum a dictis contrahentibus in dictis pactis dotalibus,admonuit eum Don Martinus, vt eligeret, quem ex eis voluerit, & ſic appellaretur Bardaxi,& conſeruaret bona huius cognominis, Stemmataque portaret eiuſdem, aut Sanchez, & cum huius nominis, armis retineret bona eiuſdem vinculi. Secundus, quia cum eſſent horum maioratuum inſtitutiones tam antiquę,eas potuit ignorareDon Ioannes, ad tollendamque hanc dubitationem caute requiſiuit, demonſtrauit,certiorauit, vnde ex dicta requiſitione, mora, ante illam commiſſa a Don Ioanne, fuit remiſſa per dictum Don Martinum concedentem illã electionem faciendam intra triduum,& ſic non potuit apprehendere ex contrauentionibus ante requiſitionem, quæ iam fuere remiſſæ,ſed ex ſequentibus, quæ non ſolum adſunt intra annum immediatè ſequentem, propter quas non poſſet apprehenſionem petere cum ex dicta requiſitione, ſaltem ali

quod

quod videatur tempus concessum ad implendum, & dilatione durante, mora committi non potuit, poteratque Don Ioannes in tra illos tres dies nominari Bardaxi, sine mixtura, & remittere alium incompatibilem maioratum Gabrielis Sanchez, quo non facto, sed intra annum, antequam oblatus fuit appellitus præsentis apprehensionis, datis contrauentionibus vltimis orta est actio Don Martino, contra Don Ioannem, ex quibus ius habuit ad eligendum, & obtinendum, cum ab ijs debeat numerari, & non ab antecedentibus, contra quas adest præscriptio dicti fori, A vezes, in sui secunda parte, & quia poterat Don Ioannes ex dicta requisitione facta a Don Martino eligere, non obstantibus contrauentionibus immediatis, ideo recte in eius renitentia elegit Don Martinus die 14. mēsis Ianuarij, anni 1613. cognomen, & maioratum de Bardaxi, & Baroniam de Antillon, & loca de la Almolda, & Castelflorit, vt sic ex hac electione, simul cum contrauentionibus, non esset locus electioni faciendæ, per Don Ioannem, nec posset ignorantiam pactorum dotalium, & contrauentionis vinculorum allegare, & ex vtraque, electione, scilicet, & contrauentione simul obtulit appellitum apprehensionis die 9. eiusdem mensis & anni. Neque id mirum est, cum hæc conditio, grauamen, siue modus gerendi nomen, & arma, sine mixtura, non momentaneus, sed successiuus sit, & perpetuus, & quamuis conditio momentanea, momento finiatur, veluti, si nauis ex Assia venerit, post eius aduentum, nihil adhuc spectandum, secus in conditione successiua, quæ semper, & quocumque tempore adimplenda est, non ergo sufficit hoc anno grauatum gerere cognomen, &arma, nec id præstare, sed semper debet præstare, sicut qui tenetur viduitatē seruare, aut alimenta alteri præbere, non satisfacit seruando viduitatem per annum, aut per eundē alimenta præstando, quia hæ omnes conditiones perseuerantiam, & continuationem perpetuam requirunt, nec momentanea assumptio habetur in consideratione, quando successiuum tempus requiritur, vnde Don Ioannes hac conditione grauatur quocumque tempore, & quacumque ocasione portare nomen, & arma de Bardaxi, sine mixtura, contraque faciens cōmittit moram, & culpam, a qua de nouo computatur tēpus a lege præscriptioni constitutum, quia in his non principiū,

nec medium inobedientiæ, sed finis consideratur, ita enim fit in delictis continuatis, in quibus, si adsit statutum, quod si intra annũ non proponatur, actio prescribatur, annus nõ computatur a die primo commissi criminis, sed secundo, vel tertio itidem cõ missum est, sed ab vltima commissione eiusdem delicti. Vnde stante statuto, quod maritus vxorem adulteram intra annum teneatur accusare, aliàs non, quamuis tempus computetur respectu primi adulterij, a commissione eiusdem, vt ex eo, transacto dicto anno, vxor non possit accusari, tamen si pluries commissit, ab vltimo actu adulterij computabitur, & quamuis de primo actu, contra quem erat præscriptum, non accusetur, accusabitur tamen de vltimo actu, cuius annus non erit impletus, nec præscrip tio completa, & hac simili ratione proceditur in grauaminibus sucuessiuis a iudice illatis, in quibus licet decem dies ad appellãdum sint transacti respectu primi grauaminis, si tamen postea inferatur, & continuetur, computabuntur ab eo, alij dicem, & ab altero, alij, & sic de singulis successiuis, veluti, si quis aliquem grauando in carcere detineat a detentatione hodierna dantur decem dies ad appellandum, quibus transactis si etiam detineatur, poterit appellare, quia adhuc grauatur, ita similiter in prohibito alienare licet aduersus primam alienationem obstaret, præscriptio annalis, si tamen secundo, vel tertio alienauit præscriptio perfecta, contra primam alienationem, non operabitur contra secundam. Vnde in nostro casu, etsi foralis dispositio in sui secunda parte, ibi, Sino es que aquel que primero ocupo la possession aya posseydo los ditos bienes, sin contradiction de aquel, que pretende auer dreyto en aquellos, por tiempo de vn año, contadero del tiempo que la muerte del posseedor de los ditos bienes fue publicamente sabida, enlos lugares en do son los bienes sitios, procederet, prout procedit, non solum in casu mortis, sed in alijs, ita vt verba hæc sint posita a foro exemplificatiue, & curreret respectu contrauentionum commissarum a Don Ioanne ante requisitionem supradictam, aduersus Don Martinum, secus vero respectu contrauentionum in cursarum per eum post admonitionem intra annum, tamen ante oblatam apprehensionis, contra quas, & ius ex eis Don Martino resultans, minime Don Ioannes præscripsit, sed legitime Dõ

Mar-

Martinus potuit petere apprehensionem, & obtinere in ea. Nec recedere debemus ab hac solida, & verissima sententia ex subtili, quadam ponderatione prædicti fori, A vezes, videlicet, illius dispositionem correctoriam iuris communis, & fororum. Item Por dar forma, & Ajustando, eodem titulo de apprehensionibus, strictè esse interpretandam, vt contineat duas specialitates. Primā, quod deueniatur, ad bona defuncti immediati possessoris. Secundā, quod qui meliorem titulum habet, obtinere debeat, contra actualem possessorem, & detentatorem bonorum. Vnde licet Don Martinus meliorem titulum demonstret, ex prædictis pactis dotalibus, iuncta contrauentione Don Ioannis, non debet obtinere in vita eiusdem, cum non veniat ad bona defuncti. Nam præter quam, quod specialitas, & correctio prædicti fori solum consistit in eo, quod contra actualem possessorem bonorum obtineat in hoc summarissimo possessorio, qui meliorem titulum habeat, secundum quam interpretationem prouisa fuit hæc apprehensio, ex communi voto huius Senatus, & à Regia Audientia confirmata, dicendum est, istum forum insinuando, quod quando quis venit ad defuncti bona, &c. certe loqui de immediato, aut mediato possessore bonorum, quod si de immediato, & actuali possessore intelligatur, solum procedit exemplificatiuè, non quod præcissa sit eius dispositio in immediato defuncto possessore, sed ex eo, quod frequens sit ille succedendi vsus. Nam cum frequentius successio in tempus mortis vltimi possessoris conferatur, hoc in casu forus apposuit exemplum, cuius decisio correctio, & specialitas vnica, non duplex reputari debet, hæc etenim dispositio præcipue in vinculis bonorum continet iustitiam, & fauorabilis est, fauorque iste ampliari debet, non restringi, vt hac ratione melius, vincula, vinculantiumque voluntates obseruentur, quod iustissimum fuit, ne obedientes vocati grauentur intentare remedium plenarij possessorij, aut petitorij, relicto inobediente in possessione, quam vinculantes in successorem transmittere voluerunt in fideicommisso, siue in contractu, siue in vltima voluntate relicto, quod in terminis legis quadragesima quinta Tauri, similis valde no-

 stro

ſtro foro ſcribentes dixerunt, aliàs enim paruus reperiretur fauor, ſi in diſpoſitione in quoad purificandam vocationem, & fideicommiſſum, debet ſpectare tempus mortis vltimi poſſeſſoris ille, in cuius fouorem fuit purificata vocatio, ſpectare etiam deberet contrauenientis mortem, ex quo apparet, quod ſi poſſeſſor maioratus grauatus ſub conditione, quod ſi bona in tertium non vocatum alienet, illa perueniant in ſequentem in gradum, licet tertius, in cuius fauorem facta fuit alienatio poſſeſſionem, actualem habeat, nihilominus purificato ex contrauentione fideicommiſſo vocatur, ex hominis expreſſa diſpoſitione, miniſterioque legis, aut fori noſtri, & poterit apprehendere in vita alienantis, & debet obtinere in vita alienantis, & debet obtinere contra dictum alienantem, & tertium actualem poſſeſſorem, & detentatorem bonorum, quia id videntur importare verba contrahentium in dictis pactis dotalibus. Quo caſu iam ad bona vinculantiũ, &ad bona defuncti deuenitur, nec neceſſariũ eſt, ſecundũ veriorẽ, & receptiorẽ Doctorũ ſententiã, quod in clauſula vinculorũ, & prohibitionis apponatur, quod ſi fuerit contrauentum dominium, & poſſeſſio in ſequentem, tranſmittantur, cum ſat fuerit dicere, quod bona deferantur, aut perueniant in ſequentem in gradu, vt in noſtro caſu. Non obſtantibus exceptionibus falſitatis, aut inſolemnitatis pactorum dotalium, in proceſſu per Don Martinum exhibitorum, obiectis a Don Ioanne, quæ ſane conſiſtunt his, & ſimilibus coniecturis. Prima, quod in rogatione duo fuere notarij alius, ſcilicet Dominicus Infant, Notarius Cæſarauguſtanus, alius Arnaldus Carui, Notarius villæ de Fraga, duoſque concurrere debere in extractione. Secunda, quod extracta fuerunt a ſuccеſſare illorum, in quo idem obſeruandum erat. Tertia, quod etſi ab vno ſucceſſore lebetur ab alioque ſubſcribatur, non credatur, non conſtito de nota rogati, & ſi conſtet de protocollo illius anni Dominici Infant facta rimatione eiuſdem, & comparatione, & habita relatione ab Antonio de Mirauete Notario Cæſarauguſtano, ſucceſſore, in notis eiuſdem Dominicus Infant, mediante compulſa exhibita in proceſſu, non extare ingroſſata, aut appſita prædicta pacta dotalia. Quarta, quod

quod non est verosimile, commissas fuisse Martino Vicent Notario, notas prædicti Dominici, a Ioanne de Moncayo, tunc Regēte Officium Generalis Gubernationis præsentis Regni, cum hoc fieri potius, debuisset in præsenti ciuitate Cæsaraugustæ, a Iuratis eiusdem ciuitatis, quam in ciuitate Hoscensi, a dicto Gubernatore. Quinta, quod prædictus Ioannes de Moncayo erat pater Serenæ de Moncayo contrahentis, & dominus diuersorũ locorum, dé quibus in eis fit mentio, & quamuis apposuisset conditionem non alienandi, ea nihilominus penes diuersas familias hodie reperiuntur. Sexta, quod nõ sunt appositę lineę, dies, nec calendarium de propria manu extrahentis successoris. Septima, quod compulsæ quarum virtute extracta fuere, etiam cõtinent eandem suspicionem. Verum enim vero hæ, & aliæ similes coniecturæ non debent infringere, imo tollere, & eneruare fidem dictorum Notariorum legalium contra quos, & eorum antecessores nihil allegatum, aut probatum est, & pro quibus præsumit lex veritatem attestari, vt & nos pręsumere debeamus: præsertim cum ex processu appareat, Don Martinum in eo fidem fecisse, & exhibuisse duo instrumenta prædictorum pactorum dotalium, aliud leuatum per Martinum Vicent Notarium publicum, & habitatorem ciuitatis Cæsaraugustæ, virtute cuiusdam commissiones sibi factæ, a prædicto Ioanne de Moncayo Regenti Officiũ Generalis Gubernationis in ciuitate Hoscæ, mediante mandato, & prouisione Iacobi de Montesa Locumtenentis Domini Iustitiæ Aragonum, facta Cæsaraugustæ die 31. mensis Augusti, anni 1464. Quo quidem instrumento prouisus fuit appellitus pręsentis apprehēsionis, confirmatus in hac Curia, & mediante appellatione in Regia Audientia, aliud extractum ab eodem Martino Vincent Notario, ex dicta commissione facta, notularum dicti Dominici Infant, a prædicto Ioanne de Moncayo Regente Officium Generalis Gubernationis Hoscę, dicto die 19. Nouembris, anni 1445. de mandato, & prouisione sibi facta Cæsaraugustę per Ioannem Alcolea Locumtenentem Iustitię Aragonum, die 19. mensis Septembris anni 1465. & subscriptum, & subsignitum ab Antonio Carui, habitatorem villę Fragę, qui asserit leuasse prędictum instrumentum a notis originalibus honorabilis & discretis Arnaldi Carui habitatoris villę

Fragæ quondã publici Notarij. Quarũ successor fuit ex commissione facta per Ferrarium de laNuza tunc Iustitiam Aragonum in ciuitate Cęsaraugustę die 17. mensis Nouembris anni 1463.testificatam per Dominicum de Campo habitatorum Cæsaraugustæ,acNotarium publicũ,& scribentem in scribaniaCuriæ prædicti Domini IustitiæAragonum,perDominicum Infant, & dictũ Arnaldum Carui Notarios receptum,& testificatum mãdato,& prouisione sibi facta per Antonium de RubioLocumtenentem dicti Domini Iustitiæ, Cæsaraugustæ die 16. mensis Maij anni 1466.testificata per PetrumGormedinoNotarium habitatorem Cæsaraugustæ,ac scribentem in scribania Curiæ prędicti Domini Iustitiæ:ex quibus constat de inclusione DonMartini,& de veritate,&solemnitate instrumentorum exhibitorum. Nam si solum inspiciamus instrumentum illud leuatum perMartinum Vicent successorem Dominici Infant, probat in nostro casu, quia sicut probaret leuatum ab eodem Dominico Infant rogato,non apparente nota eiusdem instrumenti,reperto etiam illius anni protocollo,sequentes opinionem veriorem in dubio non præsumi,simul communicantes duos Notarios rogatos, testificatos fuisse in tã antiquo tẽpore, & concurrentibus tot coniecturis,prout in hoc casu,ita debet probare instrumentũ leuatum ab eiusdem successore, etiam si de nota non appareat,quia cum potuerit Notarius obliuisci illud ponere in libro protocollorum, potius pręsumitur ad partem habuisse, quam quod non fuerit confectum, & quia si authoritas vnius Iasonis facientis mentionem de quodam instrumento aliquando potuit in hanc sententiam inclinare SenatumPedemontanum,personę publicę authoritas in tempore tam antiquo, & in re tam notoria illius temporis,& nos etiã mouere potest,vt pro eo instrumento prę-sumamus,cuius solum non adest authoritas,sed IacobiMontesla Locumtenentis Domini Iustitię Aragonum, præcipientis illud instrumentum leuari, & etiam authoritas Ioannis de Moncayo Regentis Officium Generalis Gubernationis, huic Notario committentis notas, & protocolla alterius, quos omnes tunc certam veritatis notitiam habere pręsumandum est, quia eo tempore hominum memoria recens erat, & veritas

ritas ad oculum patere poterat, an dictum instrumentum fuisset concessum, & per dictos Notarios receptum. Nec verosimile est, quod tam cito peterentur compulsę, & commissiones, nisi in rei veritate tale instrumentum fuisset receptum, vt sic instrumentum hoc primordium habeat veritatis, quod omnem falsitatis suspicionem submouet, vt de eius legalitate non sit ambigendum, præcipue cum huius instrumenti per dictum Martinum Vicent leuati facta fuerit mentio in diuersis processibus, quæ omnia cum tanti temporis antiquitate non leuia sunt, sed sufficiunt, vt etiam non dato, nec exhibito alio instrumento, huic standum foret, ipsumque solum solemniter probare, secundum veriorem opinionem fatendum. Si vero inspiciamus secundum instrumentum extractum ab eodem Martino Vicent, & ab Antonio Carui successoribus, & Arnaldi Carui respectiue, res minorem continet difficultatem, quippe, quod cesset grauis illa de vtriusque rogati, ac successoris extractione, in hoc enim instrumento vterque successor signauit, & extraxit, illud quilibet a notis antecessoris, ille ex commissione dicti Regentis Offi. Gener. Gubernationis, & ex præcepto, & mandato Ioannis de Alcolea, tunc Locumtenentis Iustitię Aragonum, hic ex commissione Ferrarij de la Nuza Iustitię Aragonum, & ex pręcepto, & mandato Antonij Rubio Locumtentis Iustitię Aragonum: in quo quidem instrumento non solum vnius adest authoritas Notarij, sed duorum, in quorum ore stat omne verum, adest etiam, & aliarum personarum, & diuersarum eorundem exhibitionem in diuersis processibus, quas licet extra hunc processum, & vidimus, & testamur, pręcipue in illo Don Ioannis Fernandez de Heredia super apprehensione loci de Albalate de Cinca, in quo facta fuit comprobatio copię in eo processu relictę, cum instrumento publico dictorum pactorum dotalium, & cum originali nota eorundem, ex quibus magno præuio examine confirmata fuit illa apprehensio, adestque tanta antiquitas, vt necessario compellamur pro instrumento pręsumere, & cum eo pronuntiare, quamuis non reperiatur ingrossatum hoc instrumentum in protocolo Dominici Infant, cum prędictum instrumentum non a

præ-

prædictis successoribus fuerit extractum, solum propria authoritate, quo casu possit id dubitari, sed præcepto, & compulsa tantorum vriorum, interuenientibus tot, ac tantis circunstantijs, & illo tempore, quo clarior notitia haberi potuit, vt perpetuam habeat vtrumque instrumentum firmitatem, & vtrique plena adhibenda sit fides, etiam si de aliqua originali nota non constaret. Nec nos in contrarium mouet dispositio fori prouidendo, titulo de fide instrumentorum, de anno 1398. ædi ti ante constitutionum dictorum pactorum dotalium, cum facta instrumentorum visura, & timitatione comparationeque vtriusque characteris, & signi, & linearum in principio positarum, licet diuerso attramento fuerint conscriptæ duæ priores lineæ, & fere totum corpus instrumenti, quam signum, tamen forma dictarum linearum, & signi vna apparet, & perpensis literis, similes sunt literæ linearum, literis signi Martini Vicent, solum enim maioribus literis subsignauit, quam scripserit priores lineas instrumenti, quod mirum non fuit illa scriptura ita fieri, cum & quotidie itidem inspiciamus in notarijs extrahentibus scripturas, vt priores lineæ instrumenti minoribus characteribus subscribantur maioribusque, & diuerso attramento signa constituantur, neque aliqua ex hac literarum maioritate induci potest falsitatis suspicionis coniectura. Minusque mouere potest priores illas lineas secundi instrumenti exhibiti per Don Martinum, scriptas fuisse manu dicti Martini Vicent successoris Dominici Infant. Cuius nota non reperitur quasi necessarium foret illas, saltem scriptas manu successoris, cuius nota reperiebatur, & sic debuisset illas Antonius Carui scribere, de cuius antecessoris nota constabat: Huic difficultati, præterquam quod satisfactũ est, ex supra late pôderatis, videlicet, nõ esse necessariã notam rogati, etiam in leuatione instrumenti per successorem, quando cum tanta temporis antiquitate concurrunt præcepta iudicum de leuando, concurruntque multa alia, de quibus supra, non infringitur instrumentum, nec ista eius fidem valent eneruare, vt ita sensit noster Senatus, anno 1567. in processu Ioannis Torrellas super apprehensione, in articulo iurisfirmarum. Sufficiens, ergo fuit sub-

ſubſcriptio Antonij Carui, ſucceſſoris Arnaldi Carui nota, reperitur, vt ſic ſucceſſor alterius, cuius non reperitur apponat priores lineas, quia tempore quo appoſuit illas credendum eſt, notam adeſſe Dominici Infant., a qua leuauit Martinus Vicent, quia poſuit lineas in leuatione, ex quibus in ſolemne minime dici poteſt, tale inſtrumentum ab eo ſignatum, ſignatumque ſimiliter ab Antonio Carui ſucceſſore Arnaldi, cuius hodie nota reperitur, potuit, ergo eas apponere Martinus, vel quia antiquas Notarius, ſicut prior ſignauit, vel quia principalior, vel ex alia vrbanitatis cauſa, quia in actu indiuiduo, qualis erat ille, non vterq; apponere poterat duas priores lineas. Vnde ſat fuit, illas apponere Martinum illum Vicent, abſque aliquo in ſolemnitatis vitio. Quæ omnia vero conſonant valdeque coadiuuantur alia tertia ſcriptura adducta, & exhibita per Don Martinum de Bardaxi, mediante inuentario, cuiuſdam, ſcilicet copiæ manifeſtationis, fidem facientis, a poſſe Michaelis de San Iorge Notarij villæ de Fraga, ſucceſſoris, & detentatoris notularum prædicti Arnaldi Carui, qui quidem Notarius in executione prædictæ manifeſtationis reſpondit, die 21. menſis Iulij, anni 1543. quod detinebat protocolla quam plurima inſtrumentorum receptorũ, & teſtificatorum per dictum Arnaldũ Carui, & facta inueſtigatione, dixit, ſe habere protocola in literis manifeſtationis mentionatum, videlicet anni 1446. Item, quandam plicam continentem quindecim folia capitulorum matrimonialium initorum, ſuper matrimonio contrahendo inter dictos Don Ioannem de Bardaxi, & Serenam de Moncayo, ſcriptam manu dicti Arnaldi Carui Notarij: Quam quidem dixit, ſe inueniſſe extra dictum protocollum, & non in dicto protocollo. Item, aliam plicam continentem terdecim folia, inter alba, & nigra, ſeu ſcripta, & non ſcripta, regeſtrum dictorum capitulorum matrimonialium, etiam extra dictum protocollum ad inuentum, & ſcriptum manu propria Antionij Carui Notarij, nullamque aliam notam protocollum Regeſtrum, ſiue ſcripturam habere de dictis capitulis matrimonialibus, præter quam ſuperius mentionata, quas quidem plicas, & vnam quamque earum dixit ſe adinueniſſe ſeparatas, & diuiſas vnam ab altera, & ambas a dicto protocollo, liberauitque dictum

protocol-

protocollum, & plicas dicto portario executanti manifestationem, quibus ductis ad posse Locumtenentis Domini Iustitiæ Aragonum oppositisque in manifestatione diuersis personis, instante Hieronymo Ram Procuratore, extracta fuit copia signata, cuiusdam plicæ capitulorum matrimonialium initorum, inter Don Ioannem de Bardaxi, & Serenam de Moncayo, in protocollo anni 1446. originaliter continuatorum in dicto protocollo, seu originali nota manifestata. Item, aliam copiam a simili signatam, Regestri originalis dictorum capitulorum matrimonialium, & iam in dicto protocollo manifestato existentem, simul cum quibusdam originalibus instrumentis publicis instrumentorum factorum, & concessorum, per omnes contrahentes, dicta capitula matrimonilia a simili in dicta originali nota, siue protocollo continuatorum, & omnium prædictorum singulas copias signatas, & correctas, & cum dictis suis originalibus concordantes, sibi tradi mandare, quæ quidem copiæ omnium prædictorum instrumentorum, & scripturarum, sic, & prout in dicto protocollo manifestato iacebant, & iacent, fuerunt extractæ. In primis enim adest plica dictorum capitulorum matrimonialium, continentem viginti & quatuor capitula, in quorum tertio adest grauamen, de quo supra, in qua licet non adsint testes, adsunt tamen in protocollo in concessione horum pactorum, a quo debet informari illa plica scripta propria manu dicti Arnaldi, vt testatur notarius, in cuius posse repertum est protocollum, quæ quidem plica licet extra protocollum reperta a dicto notario præsumendum est, alio non docto, neque alia reperta, fuisse materiam concessionis dictorum pactorum dotalium repertum, cum testibus in protocollo dicti Arnaldi, nec mirum id videri debet, cum quotidie huiusmodi plicas, sicut, & testamentorum Notarij, ad partem constituant, signando in principio plicæ, & dicendo capitulos matrimoniales, &c. Quæ robur, & vim sumunt ab imbrebiatura Notarij reperta in originali protocollo. Rubrica enim illa indicat valde materiam esse informatam a cōcessione appositain protocollo,cum testibus,non constito de alia. Secundo adest Regestrum Antonij Carui, quod & si non contineat tenorem dictæ plicæ, continet tamen laudationem

tionem pactorum dotalium, ex qua saltem apparet inita fuisse inter dictos contrahentes pacta dotalia. Tertio adest attestatio Ioannis Ximenez, substituti vnam ex scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, qui attestatur huiusmodi copiam a nota originali, seu protocollo, actuum, & instrumentorum per discretum Arnaldum Carui Notarium Regium Villæ Fragæ, in anno 1446. a posse Michaelis de San Iorge Notarij, habitatoris villæ Fragæ, & detentoris notularum dicti Arnaldi Carui, per Ioannem Remirez portarium, & virgarium Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, virtute prouisionis manifestationis prædictæ, ad instantiam Ioannis Mir, se extraxisse copiam, cum eisdemmet albis, borratis, suprapositis, interlineatis, ac sic, & quemadmodum in originali nota iacet, nihil addito, vel dempto, sed sic, & pro vt in dicta originali nota reperit scriptam. Quarto adest mentio, & attestatio dicti Antonij Carui in dicto regestro se a notis originalibus dicti Arnaldi Carui, ex commissione sibi facta per Ferrarium de la Nuza Iustitiam Aragonum, & ex mandato Antonij de Rubio Locumtenentis, bene & fideliter comprobasse cum dicta nota originali Arnaldi Carui, propria manu scripsisse, & subsignasse. Quinto adsunt concessiones dictorum pactorum dotalium, cum testibus, diuersis diebus testificatis, quo ad concessionem diuersarum personarum informantes illa pacta dotalia, quæ reperta sunt extra protocollũ, manu propria dicti Arnaldi conscripta, & cum exhibitis in præsenti processu concordantia. Sexto adest, comprobatio dictorum viginti & quatuor capitulorum matrimonialium, facta ad instantiam Hieronymi Ram, Procuratoris Don Ioannis de Moncayo, per Ioannem Perez, Locumtenentem Iustitię Aragonum, diebus 1. 3. & 15. Octobris, in propria domo, secundum assignationem constitutam in Curia, inter tertiam & quartam horas post meridiem, quę reperta sunt, concordare cum nota originali dicti Arnaldi, exceptis quibusdam, ob scribentis culpam, quę fere nullius sunt momenti, nec substantiam mutant. Septimo adest, comprobatio regestri Antonij Carui, facta per dictum Ioannem Perez Locũtenẽtem, die 16. Octobris eiusdem anni, & fuit repertũ concordare copiam cum originali. Octauo adest, comprobatio facta per dictum Locumtenentem, instrumentorum concessionis

ſionis,& firmæ, ſeu firmarum dictorum capitulorum matrimonialium, quibus comprobatis cum dicta originali nota, ſeu protocollo manifeſtato,fuit inuentum dictam copiam,ſeu copias concordare cũ dicta originali nota manifeſtata, quę nota manifeſtata continet conceſſiones dictorum capitulorum, quoad firmam omnium contrahentium,cum teſtibus; & hæc acta, & conceſſiones ſunt quæ informare debent illa viginti & quatuor pacta reperta ſine teſtibus,in magna illa plica,de qua ſtatim. Nono adeſt, eadem die facta viſura,& ocularis inſpectio per dictum Locumtenentẽ,Notarium, & teſtes, ad eiuſdem Procuratoris inſtantiam, qui omnes aſſerunt in dictis notis manifeſtatis repertũ fuiſſe protocollum coopertum duobus folijs pergameni,continens plurima acta continuata in papiro, quæ videbantur, & erant omnia ſcripta, & continuata eadem litera, & interdicta acta, quæ erant continuata in dicto protocollo,reperta ſunt inſerta, & continuata acta firmæ, & conceſſionis dictorum capitulorum, quæ videbantur eſſe, & erant ſcripta ſecundum formam dictę literæ, cum calendarijs,& teſtibus eiuſdem literæ,qua erant ſcripta,& continuata alia acta in dicto protocollo manifeſtato. Decimo adeſt, eadem viſura,in qua dictusLocumtenens,Notarius,& teſtes ocularitér viderunt, qualiter inter dictum protocollum manifeſtatum,auia vna plica grande deſcoſida dentro del protocollo,aparte,ſcripta de letra antigua,en pliego grande,repartida y cõtinuada en capitulos,a ſaber es,ſeñalando por la margẽ primero, ſegũdo,&c.Laqual tenia quinze hojas grãdes,y auia en numero veyntiquatro capitulos.Et ſimiliter viderunt oculariter,como dentro de dicho protocollo eſtaua vna plica deſcoſida aparte delRegiſtro de los dichos capitoles, que auia entre blancas y eſcriptas treze hojas, y las dichas copias ſuſo inſertas, eſtauan aſſentadas de la forma y manera, y con los raſos, y ſobrepueſtos, y blancos, y borrados, que eſtauan en la nota original, ſi quiere eſcripturas manifeſtadas. Omnia ergo hæc deducuntur ex copia prædictæ manifeſtationis proceſſus Ioannis Mir,ſuper manifeſtatione,quæ ſane ſatis veritatem, & ſolemnitatem inſtrumentorum exhibitorum, notularumque prædicti Arnaldi Carui oſtendunt, declarant, manifeſtant, inſuperq; licet extra proceſſum,veritas, & ſolemnitas horum inſtrumentorum detegitur, ex quodam Regeſtro

stro actuum communium emparamentorum in præsenti Curia continuatorum per nos viso, & comprobato in duo inter varia acta, & instrumenta transumptum fuit hoc instrumentum lebatum a prædicto Martino Vicent notario Cæsaraugustano, & Antonio Carui notario villæ de Fraga, interposita authoritate Hieronymi Diez de Escoron, Locumtenentis Domini Iustitiæ Aragonum, die 20. mensis Aprilis, anni 1534. in quo transumpto eadem viginti & quatuor capitula dictorum pactorum dotalium apparent, quæ in dictis exhibitis instrumentis a Don Martino apposita sunt. Tandem omnem videtur nebulam tollere ad inclinandum animum, eruendamq; instrumentorum veritatem, & legalitatem, vltra aliquas copias diuersorum instrumentorum aliud visum extra hunc processum instrumentum originale laudationis prædictorum pactorum dotalium conditum, & inter eosdem contrahentes, & alios, in quo specificè, & in indiuiduo propropria calendaria enunciantur, nominantur, & calendantur prædicta pacta dotalia, non iam a successoribus, sed a proprio Arnaldo Carui notario rogato dictorum instrumentorum, qui testatur dicta pacta dotalia testificatũ fuisse, vna cũ Dominico Infant notario Cæsaraugustano, quod quidem instrumentum laudationis, in quo calendantur prædicta pacta dotalia, conditum fuit in Castro loci de Çaydino, die 16. mensis Marcij anni Domini 1451 Ex quo non obscure magna veritatis vis detegitur, si igitur in ijs instrumentis tot, ac tanta cum illorum antiquitate concurrunt, nec leues adhuc coniecturæ demonstrantur, cur de illorũ veritate dubitandum erit? cur de illorum solemnitate ambigendum erit? Quæ, nec reperiuntur vitiata, cancellata, aut aliud vitium substantiale habentia, non enim credendum est, tot personas, tot acta falso concurrere, totq; circunstantias veritatem, & solemnitatem instrumentorum fouentes, futiles, inanes, & sine robore fore. Quapropter prædictis instrumentis adhærendo, illorumq; dispositionibus fauendo, bonum ius Don Martinum in hac causa habere, & merito in hoc processu obtinere debere testamur, ipsius propositionem recipientes, reiecta alia Dõ Ioannis de Torrellas & Bardaxi, cæteræ autem propositiones reijciuntur, & repelluntur, vel quia non probarunt intentionem partes, vel eas non publicarunt, & aliàs, atten. conten.

Sig†num

Sig † num *mei Antonij de Soria, in ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publicum Notarium, ac Regentis principalis vnam ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & eius Consilij Secretarij, qui huiusmodi vota, & motiua à originali libro dicti Consilij de anno millesimo, sexcentesimo, decimo sexto, in quo continuata, & descripta existunt, manu aliena extraxi, & cum suis originalibus bene, & fideliter comprobaui. In quorum fidem, & testimonium permissorum meo solito quo artis notariæ vtor signo signaui.*